



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 5. In Sanctis, seruata substantiæ integritate, solam deformitatem
perituram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

deformitatem spectant, credibile est, eos retenturos, non certum. Vnde & Poëtæ cecinerunt, varia apud inferos monstrata stabulari. Quòd si autem ne damnati quidem amplius erunt monstrosi, quid queruntur de eo, quod sunt ad tempus, corriget autem Resurrectio pro æternitate, quæ illis, si voluissent, iucunda fuisset?

§. V.

In Sanctis, servata substantia integritate, solum deformitatem perituram.

Certius est, nihil fore in beatis sedibus monstruosum. *Indecorum quippe aliquid ibi non erit; ait Hipponensis antistes, sed quid quid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit. Resurgent igitur sanctorum corpora, sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit: quæ non esset, si aliquid mali ibi esset; sicut neque in terris calamitatis poena esset, si mali nihil esset. Qua de causa ita, alio libro, disputans de capillis resectis, qui beato in numero, non in quantitate omnes reddentur, ne totus hirsutus monstro similis efficiatur, subiungit: *Neg**

S. Augustin. in Enchirid. c. 90. & 91.

Idem lib. 22. de civ. cap. 19.

Qq s

peri

pori cuiq; periturum, quod naturaliter inerat;
 sed quod deforme natum fuerat; non utiq; ob
 aliud, nisi ut hinc quoq; ostenderetur, quam
 sit pœnalis conditio ista mortalium; sic esse re-
 diturum, ut seruata integritate substantiæ sola
 substantiæ deformitas pereat. Si enim statuam
 potest artifex homo, quam propter aliquam
 causam deformem fecerat, conflare & pulcher-
 rimam reddere; ita ut nihil inde substantiæ,
 sed sola deformitas pereat; ac si quid in illa fi-
 gura priore indecenter extabat, nec parilitati
 partium congruebat, non de toto, unde fecerat,
 amputare atque separare, sed ita conspergere
 uniuerso atq; miscere, ut nec fœditatem faciat,
 nec minuatur quantitatem; quid de omnipotente
 artifice sentiendum est? Ergone non poterit
 quasq; deformitates humanorū corporum non
 modo usitatas, verum etiam raras atque mon-
 strosas, quæ huic misera vite congruunt, abhor-
 rent autem ab illa felicitate sanctorum futu-
 ra, sic auferre ac perdere, ut quasq; earum
 faciunt, & si naturalia tamen indecora excre-
 menta substantiæ corporalis nulla eius diminu-
 tione tollantur? Ac per hoc non est macris
 pinguibusue metuendum, ne ibi etiam tales
 sint, quales, si possent, nec hic esse voluissent.
 Omnis enim corporis pulchritudo est partium
 congrua

congruentia, cum quadam coloris suauitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut idè quid offendit, quia prauum est; aut idè, quia parum; aut idè quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium; ubi & quæ praua sunt, corrigentur; & quod minus est, quam decet, unde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est, quam decet, materia seruata integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui? Benè igitur sperent boni; bene sperent parui, quia nullus in cælo erit Ioannellus; benè sperent pallidi, & pallidæ, quia roseum colorem acquirent ibi, ubi omnia florebut. Benè sperent macilenti, quia ibi, non erunt extenuati. Benè pingues, quia ibi, ubi iusti fulgebunt sicut sol, (nam de his hîc agit S. Pater) nullus aquaticulus propenso sequipede extabit; pro flamma Auernali seruiet adeps impiorum.

§. VI.

Qui nunc gemino, aut semiferino, aliterus monstroso sunt corpore, siue boni, siue mali, quo modo sint resurrecturi?

Atq; vt curiosis omnino satisfiat, libet apponere, quæ D. Bonauentura, in eundè

D. Au-